

*Concessione di un  
prestito da parte del papa.*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Concessione di un  
prestito da parte del papa.*

1265-10-04

In Dei nomine, amen.

Sanctissimus pater dominus dom. Clemens divina providencia Summus Pontifex, volens Nobis Karolo d. g. Regi Sicilie..., ad prosecutionem negotii Regni Sicilie quibus potest remediis subvenire, vobis magistris Claudio, subdiacono et cappellano suo, et Berengario de Secureto, clerico camere sue, propter urgentes necessitates nostras recipiendi... mutuuum usque ad summam centum milium librarum turonensium, nomine Romane Ecclesie, nec non possessiones tam ecclesiarum quam monasteriorum et aliarum religiosarum domorum Urbis creditoribus obligandi... plenam potestatem per suas concessit licteras subter annexi tenoris:

Clemens Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistris Claudio, subdiacono et cappellano nostro, et Berengario de Secureto, clerico camere nostre, salutem et apostolicam benedictionem. De prudentia vestra plenius confidentes, recipiendi mutuuum usque ad summam centum milium librarum turonensium, nomine Romane Ecclesie, simul vel divisim vel separatim, a mercatoribus Urbis, ac propter hoc cameram nostram et bona eiusdem Ecclesie nec non possessiones et iura tam ecclesiarum quam monasteriorum et aliarum religiosarum domorum Urbis creditoribus obligandi, tradendo quoque illis possessionem bonorum ipsorum... iure pignoris etc... de fratrum nostrorum consilio plenam et auctoritate predicta concedimus facultatem... Ab obligatione autem huiusmodi excipi expresse volumus ecclesia sancti Ioannis de Laterano, cum ecclesia sancti Silvestri et Basilica que dicitur ad Sancta sanctorum sancti Petri apostolorum principis et omnibus aliis ecclesiis sancte Romane Ecclesie Cardinalium,

monasteriis monialium, domibus hospitalium pauperum et possessoribus eorundem etc...

Datum Perusii, II nonas septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Licet autem in eisdem licteris quod predictum mutuum ad opus nostrum contrahatur mencio nulla fiat, Nos tamen, recognoscentes et confitentes expresse mutuum tridecim milium librarum turonensium, quod de Thoma Iacobi de Parnula, Deodato filio Romani Odonis Serromani, Leonardo Iacobi de Arenula, Blasio Nicholai Ioannis Boboli, Iohanne de Viola, Iacobo Nicolai Iacobi, Paulo fratre eius, Stephano dicto Maligno, Leonardo et Petro, filiis suis, et Petro Nicholai Muti, civibus et mercatoribus Romanis, auctoritate licterarum huiusmodi contraxistis, pro quo mutuo Romanam Ecclesiam et cameram domini Pape, certas quoque possessiones Sancti Pauli, Cripteferate, sancti Sebastiani, sancti Laurentii Panisperna, sancti Sabe et sancti Gregorii monasteriorum, nec non et ecclesie sancte Marie Nove, predictis mercatoribus obligastis, prout in istrumento publico confecto super hoc per manus Bartholomei Astoris scriniarii plenius et expressius continetur, pro nostris necessitatibus et ad utilitatem nostram fuisse contractum, promictimus... Summum Pontificem, cameram suam, Romanam Ecclesiam et predicta monasteria et ecclesiam sancte Marie Nove... ab omnibus obligationibus... liberare infra terminos... Pro ipsis quoque omnibus... observandis, vobis nomine memorati Summi Pontificis et Ecclesie Romane etc... obligamus omnes terras et comitatus quos tenemus et imposterum tenebimus, ac proventus eorum, et insuper totam decimam ecclesiasticorum reddituum Nobis tam

in Regno Francie quam in quibusdam adiacentibus partibus in subsidium predicti negocii Regni Sicilie ab eadem Ecclesia Romana concessam etc... Et ad maiorem cautelam omnia et singula supradicta iuramento per Martinum de Magdelano clericum nostrum in animam nostram corporaliter prestito in nostri presentia et de nostro speciali mandato firmamus... In cuius rei testimonium presentes licteras vobis, et per vos Summo Pontifici, Ecclesie Romane ac memoratis monasteriis, et ecclesie sancte Marie Nove... concedimus, sigillo nostro munitas.

Actum Rome in hospitio nostro Sanctorum Quatuor Caronatorum, mense octobris, die quarto eiusdem mensis, VIII indictionis, Regni nostri anno primo. Datum Rome per manum Roberti de Baro, Magne Regie Curie nostre Prothonotario. (A margine era scritto: Receperunt istam pecuniam Iohannes Landi et Iacobus Mutus).